EXAMEN PVBLICVM

III. SVPERIORVM CLASSIVM

GYMNASII HELMSTADIENSIS

DIE XXIV MENSIS MARTII ANNI MDCCCXXIII 1823

INDE AB HORA VIII. MATVTINA ET II. POMERIDIANA

HABENDVM

INDICIT

G. F. C. GÜNTHER, Dr.
GYMNASII DIRECTOR.

Insunt Ἀποσπάσματα *quaedam de vera sermonis Homerici indole.*

HELMSTADII,
EX OFFICINA LEVCKARTIANA.

De vera sermonis Homerici indole.

Sermo enim liberior (Homeri), necdum aut artis quibusdam praeceptis formatus aut, ut postea factum, usu huc vel illuc inclinante constrictus coarctatusque, plurimas habet et perquam subtiles notionum enunciationumque rationes: quas quidem cognovisse recteque perspectas habere, tanto magis necessarium est, quod omnis recentiorum sermo ex his quasi radicibus effloruit.

G. Hermannus ***de legg. quibusd. subtilioribus serm. Homer. diss. I. p. III.***

Quod Horatius (A. P. 268. 269.) omnibus, qui majores et laetiores progressus in studiis humanitatis ac litterarum facere velint, gravi ac vehementi oratione commendat:

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna!

id peritissimo cuique et ipsius Horatii et totius fere doctae antiquitatis aestimatori dubium esse non potest, quin praecipue de carminibus Homericis dictum esse velit. Non enim incipiendus tantummodo a studio carminum Homericorum suo quidem tempore cursus litterarum Graecarum, sed strenue atque impigre ea-

dem viâ persequendus, neque intermitti ullo tempore nec sine magna discentium fraude relinqui potest. Cum igitur tribus fere partibus contineri videatur diligens atque accurata carminum Homericorum investigatio, rerum quae ad εἰσαγωγὴν spectant notitia, ipsius sermonis discendi studio et morum Homericorum cognitione, simulac discipuli mei initiis Homericis satis imbutos mihi sese probarunt, ad monstrandam subtiliorem *sermonis Homerici* tractationem securus me accingebam, cum praematura, nec opinata dilectae conjugis morte acerbissimo dolore ingentique luctu perculsus omni, qua gaudebam, animi alacritate atque hilaritate subito orbatus sum! — At

ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν
τύχας δοθείσας ἐς' ἀναγκαῖον φέρειν!

Etenim

Πάντες γε θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι!

Instante autem Examinis publici tempore cum fortunae iniquitate a legitima rerum, quas multas collegeram, confectione prohibitus aliisque rebus et negotiis distentus intra paucorum dierum spatium memoria potius quam ex adversariis meis doctorumque virorum scriptis aliquid saltem de re proposita conscribere deberem, jam veluti primis tantum lineis ductis de *vera sermonis Homerici indole* paucis disseram, melioribus ad meliora tempora repositis. — —

Vera igitur sermonis Homerici indoles his potissimum rebus conspicitur: *Poetica sermonis Homerici virtute*; deinde *forma et figura dicendi*; denique *grammatica sermonis Homerici constitutione*.

Poetica sermonis Homerici virtus cum aliis rebus tum maxime cernitur *temperato et aequabili dicendi genere et vividiore quodam spiritu in describendis moribus hominum et in comparationibus maximam partem ex natura petitis.*

Temperato et aequabili genere dicendi, quale inter prosarios posterae aetatis scriptores praecipue in Xenophonte ipsi laudant veteres, Homerum uti, facile sibi persuadebit, si quis poetam res gestas vel gerendas enarrantem viderit. Rebus enim ipsis quam maxime illustrandis summopere intentus nec plenissimam verborum copiam fastidit nec semel dicta et dicenda iterum iterumque repetere dubitat, ita ut apud eos homines, qui nec carminis epici neque aetatis Homericae naturam et ingenium respicientes summam atque unicam laudem in orationis concinnitate et vario verborum splendore positam esse arbitrantur, facile in vanae loquacitatis suspicionem incurrat ἐρίηρος ἀοιδός. Qui vero ut omnium, qui aliqua parte excelluerunt, scriptorum ita et poetarum et Homeri virtutes non ad aliorum ingenia sed ex carminis epici et aetatis Homericae natura judicant, quamvis severi probi tamen et intelligentes rei judices, tantum abest, ut easdem jactent criminationes, ut, quae vera et genuina sunt carmina Homerica carminumque partes, etiam hoc nomine summis efferant laudibus. Insignem quandam fluminis similitudinem prae se fert divini poetae oratio, non coarctatis et vastis fluctibus per saxa rupesque recto cursu praecipitantis sed inter patentes campos pratorumque amoenitatem lente et placide per flexus et ambages adeo delabentis, ut saepe reverti credatur. Non opus est multorum locorum

testimonio; omnes fere ubique testantur; paucis modo dicta comprobabo: *Iliad.* VII, 119—236, quo loco Diomedes et Glaucus ad certamen singulare progressi armis depositis de prisco patrum hospitio suaviter confabulantur.

ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε
παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.

Dulcissimi fere omnium sunt versus 146—149:

Οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.*)
Φύλλα τὰ μὲν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δε θ' ὕλη
τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' επιγίγεται ὥρη·
ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡμὲν φύει ἠδ' ἀπολήγει·

Facta armorum permutatione, cum Diomedes suis multo deteriora accepisset, temperare sibi non potest εὐήθης, quin ingenue profiteatur 234—236:

Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
Ὃς προς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν,
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. —

Alius locus legitur Odysseae libro sexto, qui totus fere in numero praecipuorum saltem Odysseae jure habetur, imprimis v. 149 sqq. ubi Nausicae puellae vere regiae misericordiam blandissimo alloquio implorat πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς. Cujus loci, quotiescunque in eum incidissem, mira quadam dulcedine captus, ne hic quidem mihi temperare possum, quin primos quidem versus adscribam:

---

*) i. e. ἀνθρώπων. Versus isti inscripti sunt tumulo Koësii mei, qui in itinere per Graeciam et adjacentes insulas facto Zakynthi τηλοῦ ἀπὸ πατρίδος αἴης sepultus jacet.

Γουνοῦμαί σε, ἄνασσα· θεός νύ τις ἢ βροτός ἐσσι.
Ει μέν τις θεός ἐσσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Αρτέμιδι σε ἔγωγε, Διὸς κούρῃ μεγάλοιο,
Εἶδός τε μέγεθός τε φυήν τ' ἄγχιστα ἐΐσκω.
Ει δέ τίς ἐσσι βροτῶν, τοὶ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσιν,
Τρὶςμάκαρες μὲν σοίγε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Τρὶςμάκαρες δὲ κασίγνητοι· μάλα πού σφισι θυμὸς
Αιὲν ἐϋφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο
Λευσσόντων τοιόνδε θάλος χορὸν εἰςοιχνεῦσαν.
Κεῖνος δ' αὖ πέρι κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων,
Ος κέ σ' ἐέδνοισι βρίσας οἶκονδ' ἀγάγηται.
Ου γάρ πω τοιοῦτον ἴδον βροτὸν ὀφθαλμοῖσιν,
Ουτ' ἄνδρ' οὔτε γυναῖκα· σέβας μ' ἔχει εἰςορόωντα. κ. τ. λ.

Item Odyss. VII, 240 sqq., ubi errores suos enarrare incipit Ulysses; Od. XIX, 361 sqq., quo loco ὁ ἀναγνωρισμὸς ὑπὸ Ευρυκλείας intermixta priorum temporum memoria suavissime describitur. Eadem mollis et jucunda sermonis temperatio apparet in ultimo Hectoris cum Andromache colloquio Iliad. VI, 406 — 502.*) Nec veretur rei cujuslibet obiter memoratae originem et rationem vel plurimis illustrare ut Iliad. II, 191 sqq. de sceptro Agamemnonio. — Ingens autem est copia repetitionum non magis singulorum verborum**) et dictionum idem aliis et diversis locis significan-

*) Praeclarum locum imitatus est Sophocles in Ajace 480 — 520.

**) praecipue adjectivorum, quae *perpetua* potius quam *ornantia* dicantur ut Iliad. I, 122. inter atrocia jurgia Achilles Agamemnonem alloquitur: Ατρείδη κ ύ δ ι σ τ ε, φ ι λ ο κ τ ε α ν ώ τ α τ ε πάντων!
et Od. X, 200. Polyphemi laudantur scelera:
Κύκλωπός τε βίης μ ε γ α λ ή τ ο ρ ο ς, ἀνδροφάγοιο.

tium*) sed etiam longiorum sermonum, ut spreta posteriorum temporum eleganti, interdum vero inepta verborum varietate eadem res iisdem fere verbis bis terve narretur imprimis a nuntiis atque oratoribus. Insignis locus legitur Iliad. II, 11. cll. 23 sqq. et 60 sqq.

Jam vero et *vividiore quodam spiritu* assurgit oratio cum aliis locis tum maxime in describendis moribus hominum et in comparationibus maximam partem ex natura petitis. Nam elegantissima et ad reliquum quidem et constantem sermonis tenorem est concinnitas et subtilitas poetae mores hominum describentis. Insignes loci imprimis hi leguntur: Iliad. II, 211 — 277. quibus versibus Thersitis — ὃς δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα cf. I, 575. — mores et ipsius corporis statura distinctis coloribus et mirabili quodam verborum vigore describuntur; et Iliad. III, 205 — 224, quo loco comparatio Ulyssis cum Diomede instituitur judicii acumine aeque ac verborum delectu eximia. — Atque etiam in singulis verbis verborumque compositione, cum praesertim ad mores describendos pertineant, perspicuus est vividior quidam orationis spiritus brevitate et concinnitate sententiarum magnopere auctus. Inter ejusmodi elegantias Homericas habendi sunt imprimis hi loci: Iliad. II, 268. 269.

Ὁ δὲ (Θερσίτης) ἄρ' ἕζετο, τάρβησέν τε·
Ἀλγήσας δ' ἀχρεῖον ἰδὼν ἀπομόρξατο δάκρυ.

cf. Od. XVIII, 165; Iliad. XV, 101 sqq.; Od. XX, 301 sqq., 347. Alius locus Iliad. III, 39. (XIII, 769.)

---

*) Ut ipsa colloquentium, quae ubique repetuntur, alloquia et Ἦμος δ' ἠριγένεια κ. τ. λ. et Ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν κ. τ. λ.

Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά!*)

Od. XVIII, 73:

Ἦ τάχα Ἶρος Ἄϊρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.

Od. XIX, 260, (597; XXIII, 19.):

— ἐποψόμενος Κακοΐλιον οὐκ ὀνομαστήν.

Od. XXIII, 97:

Μῆτερ ἐμή, δύσμητερ, ἀπηνέα θυμὸν ἔχουσα.

Iliad. XVIII, 54:

Ὤμοι ἐγὼ δειλή, ὤ μοι δυσαριστοτόκεια!

Iliad. XVI, 31:

Αἰναρέτη! ad quem locum Eustathius: ὁ ἐπὶ κακῷ τὴν ἀρετὴν ἔχων (male fortis.**))

Iliad. XXIII, 791. (Od. XV, 357.):

Ὠμογέροντα δέ μιν φάσ' ἔμμεναι.

cf. Virg. Aen. VI, 304:

Sed cruda (!) deo *viridisque* senectus.***)

Od. I, 266. (IV, 346; XVII, 137.):

Πάντες κ' ὠκύμοροί τε γενοίατο πικρόγαμοί τε!

i. e. ut ἐκλελάθοιντ' Ἀφροδίτης (Od. XXII, 444.).

Od. XVII, 448:

Μὴ τάχα πικρὴν Αἴγυπτον καὶ Κύπρον ἵκηαι!

---

*) *Vossius:*
Weichling, an Schönheit ein Held, weibsüchtiger, schlauer Verführer.
Ego malim:
Unglücksparis, an Schönheit ein Held, weibsüchtiger Buhle!

**) male pinguis. Virg. Georg I, 105.

***) Nisi omnis fallor et Angli dicunt: a *green* old age. Sed locos quaerere non vacat.

Age vero in comparationibus*) „quanta in magnis sublimitate, in parvis proprietate" valet, tum copia tum brevitate mirabilis! O

Praeclari loci leguntur: Iliad. II, 207—210. ubi ad restitutam concionem redeunt Achivi

ἠχῇ, ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαραγεῖ δέ τε πόντος.

Iliad. III, 21—29; IV, 422—428; IV, 452—456;**) V, 85—94; VI, 506—517 (XV, 263—270); VII, 4—7; VIII, 555—565; IX, 4—8; IX, 323—327; XI, 62—64; XI, 414—420; XI, 558—574; XIII, 62—65; XVI, 361—366; XVI, 8—11, ubi Achilles Patroclo lacrymas fundenti:

Τίπτε δεδάκρυσαι, Πατροκλεῖς; ἠΰτε κούρη
νηπίη, ἥθ' ἅμα μητρὶ θέουσ' ἀνελέσθαι ἀνώγει,
εἱανοῦ ἁπτομένη, καί τ' ἐσσυμένην κατερύκει·
δακρυόεσσα δέ μιν ποτιδέρκεται, ὄφρ' ἀνέληται·

XVII, 61—69; XIX, 357—364; XX, 490—494; XXI, 493—496; XXII, 93—97; XXII, 199—201; XXIII, 222—225; Od. V, 328—332; V, 394—398; *VI, 99—109*:

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν·
Τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,

---

*) Quas omnes collegi et brevi annotatione illustravi in *Athenaeo* mea et Wachsmuthii mei, Professoris P. O. nunc Kiliensis, opera edito. Vol. II. Fasc. 1. 2.

**) Imprimis v. 455, qui et soni et sensus praestantia excellit:
τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν.

ἀγρονόμοι παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ·*) κ. τ. λ.

Od. VIII, 523—531; XII, 251—257; XIII, 31—35; XVII, 518—521; XIX, 205—209;**) XXIII, 233—240. — Summo autem lepore, suavissima sermonis elegantia et animi affectu vel miti illo vel concitatiore se ipsum quasi superat poeta in describendo Achillis sui vitam et mores. Vid. *Iliad. I, 59—430.* ut 167:

ἐγὼ δ' ὀλίγον τε φίλον τε
ἔρχομ' ἔχων ἐπὶ νῆας, ἐπὴν κεκάμω πολεμίζων.

Iliad. IX, 182—668, ut v. 185—204; 312. 313, Achillis verba:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλησιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

v. 320; 340:

Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεΐδαι; κ. τ. λ. —

Iliad. XVIII, 1—200, ut 80 sqq.

ἀλλὰ τί μοι τῶν ἦδος, ἐπεὶ φίλος ὤλεθ' ἑταῖρος etc.

---

*) Prope ad verbum latinis versibus expressit Virgil. Aen. I, 498 sqq.:
Qualis in Eurotae ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero gradiensque deas supereminet omnes;
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido etc.
cf. Aen. IV, 140 sqq.

**) Cujus comparationis ultima verba lusu quodam ingenii maxime insignia:
— κλαίουσης ἑὸν ἄνδρα — παρήμενον.

Forma et figura dicendi. *)

Simplex et nulla fere arte procurrit periodus Homerica, **) ut non tam injungatur altera alteri quam nova quaedam ubique incipere videatur. Quae quidem periodi adornandae ratio non solum in comparationibus sed ubique fere apparet. Unum laudo locum Iliad. VI, 148, quo loco verba:

ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη·

sunt pro ἦρος ἐπιγενομένου, antecedentibus adjungenda. Ita saepius fit, ut poeta rem gestam vel gerendam narrans huc illuc securus devertatur et nimio perspicuitatis studio etiam obscurus fiat. Grave testimonium praebet Iliad. IX, 527—599. — Ex eodem fonte manat *frequentissima subjectorum varietas* ***) ut Iliad. IX, 632 sqq.:

καὶ μέν τίς τε κασιγνήτοιο φονῆος
Ποινὴν ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνηῶτος·
Καί ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, πόλλ' ἀποτίσας
Τοῦ δέ τ' ἐρητύεται κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ποινὴν δεξαμένου.

cf. XXI, 257 sq.; III, 385 sq.; I, 43—52.

---

*) cf. Cic. de Orat. II, 23; III, 9. Pliniana demum aetas nominat *stilum* ut Plin. epist I, 8; VII, 9. Equidem formâ et figurâ dicendi praecipue stilisticam sermonis institutionem quasi περιοδολογίαν significari volo.

**) cf. Epistolam ad Fr. A. *Wolfium* a me datam. Halae 1814. pag. 7. „Nunquam enim oblivissi debemus, carmina Homerica — non ad oculos legentium sed ad aures audientium esse composita." —

***) v. Epistolam supra laudatam pag. 5 sq.

Eodem modo judicandum est de aliis rebus ad grammaticam sermonis Homerici dispositionem pertinentibus, imprimis de simplicissimo *participiorum usu.* Frequens quidem participiorum usus apud Homerum, sed ubique fere pro particulis *et* aut *dum* usurpantur participia; singulari fere modo usurpatur participium his locis: Iliad. IV, 430:

οὐδέ κε φαίης,
τόσσον λαὸν ἕπεσθαι ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδήν.

Item Od. V, 277:

Τὴν γάρ δή μιν ἄνωγε Καλυψὼ, δῖα θεάων
Ποντοπορευέμεναι ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἔχοντα.

De grammatica sermonis Homerici constitutione longum neque hujus loci est vel praecipuas tantum et veterum et recentiorum sententias recensere. Carminibus Homericis multo demum post quam canebantur litterarum testimonio demandatis nonnullae res etiam non levioris momenti ne a doctissimis quidem viris ad liquidum perduci possunt. Atque mirandum, si etiam externa et grammatica istorum Carminum forma omnibus numeris absoluta esset. Me vero diuturna neque ullo aetatis meae tempore intermissa carminum Homericorum lectio docuit, *Grammaticam Homericam nondum sibi constare,* et *unius cujusque* fere dictionis rationem grammaticam magis ex loci natura quam praeceptis absolutae grammatices judicandam esse. Quo igitur liberior sermo Homericus, eo difficilior intellectu et multi sane, qui carmina Homerica promptissime interpretantur, vix ultra verborum singulorum significationem sapiunt.

Cum et temporis et chartae compendium sit faciendum, locorum testimonio sententiam meam comprobare non possum. Id tantum monuisse sufficiat, inconstantiam istam grammaticae Homericae maxime conspici in usu *modorum verbi* praesertim indicativi pro conjunctivo, in usu et constructione *praepositionum* *) et in varia omnium fere linguae *Graecae dialectorum* permixtione, de qua ii tantum recte judicare videntur, qui *Homericam* eam, non *Ionicam* dialectum esse arbitrantur. Aliter si quis statuerit, fieri non potest, quin evadat pictura, qualem expressit Horatius A. P. 1 — 5.

---

*) v. Dissertationem meam de usu praepositionum apud Homerum. Halis 1814.